

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Tübingen, Universitätsbibliothek (*D-Tu*)

Mc 48, f. 18v-19v

Transcription : Christian Meyer
(décembre 2007 – rév. oct. 2017)

18v

¹<T>onus est regula cuiuslibet cantus artificialis secundum rationem ascendendi et descendendi motus constituens. ²Pro quo sciendum quod secundum Modernos octo sunt huiusmodi toni quibus omnis cantus mundi canitur et modulatur, scilicet primus, secundus, tercius, quartus, quintus, sextus, septimus et octavus. ³Et omnes isti octo toni in cantu regulari Gregoriano et non anormalo finiuntur tantum in 4^{or} clavibus in manu, scilicet in ·D·solre, ·E·lami, ·F·faut et ·G·solreut. ⁴Que quidem 4^{or} claves finales et regulares cantus dicuntur quia omnis cantus regularis in una earum terminatur. ⁵Unde primus et secundus tonus ambo finiuntur in cantu regulari in ista clave ·D·solre in hac voce *re*. ⁶Sed tercius et quartus finiuntur in ·E·lami in hac voce *mi*. ⁷Quintus autem et sextus finiuntur in ·F·faut in ista voce *fa*. ⁸Septimus vero et octavus in ·G·solreut in hac voce *ut* finiuntur. ⁹Et quamvis diversi varios dant modos pro cognitione istorum octo tonorum, et cuiuslibet in speciali tam in introitibus, gradalibus, reponsoriis quam anthiphonis, tamen hic pro presenti [pro] facili iuvenum erudicione notande sunt 4^{or} regule subtiles et utiles ex quibus enuclealiter patere poterit cuius toni unusquisque cantus regularis extiterit.

9 diversi] *lect. inc.*

¹⁰Sed antea sciendum quod cantus regularis est cantus qui ascendit et descendit [†]inter regulares finales[†] quarum 4^{or} sunt, scilicet ·D·, ·E·, ·F·, ·G·. ¹¹Et omnis cantus regularis aut est plagalis aut autentus aut mixtus aut neutralis.

¹²Est igitur prima regula hec : omnis cantus descendens de sua finali nota usque ad 4^{am} notam sub se et non ascendens ultra finalem ad octavam est cantus plagalis et iste cantus semper attribuitur tono pari, scilicet 2^o, si finitur in *re*, quarto si in *mi*, sexto si in *fa*, octavo si in *ut*.

¹³Secunda regula : omnis cantus ascendens ultra suam finalem ad octavam vel septimam atque licencialiter per unam notam supra octavam sic esset ascensus novem clavium super finalem inclusive. Sequitur ergo quod primus tonus, 3^{us}, 5^{us} atque 7^{mus} prescriptum ascensum videlicet novem clavium inclusive supra finalem clavem regulariter ascendens et ultra non, et non descendens a nota finali usque ad quartam, est cantus autentus, et iste cantus semper attribuitur tono impari, scilicet primo si finitur in *re*, tercio | si in *mi*, quinto si in *fa* vel septimo si finitur in *ut*.

19r

¹⁴Tercia regula : omnis cantus descendens a sua finali nota usque ad quartam et ascendens ultra finalem usque ad octavam est cantus mixtus et talis eciam attribuitur tono impari, ut primo si finitur in *re*, tercio si in *mi* etc. ut prius.

¹⁵Quarta regula : omnis cantus non descendens ad quartam nec ascendens ad octavam est cantus neutralis et cuius toni sit iste cantus hoc modo cognoscitur penes primam notam signi.

Versus :

¹⁶Plagalis fit tonus par, autentus fit tonus impar.

¹⁷Scandere vult impar descendere vultque tonus par.

¹⁸Imparem mixtus petit ascendere descendereque requirit

¹⁹Vult neutralis notam signi non alte nec grave cantari.

¹² tono] toni *cod.*

¹³ atque licencialiter... et ultra non *add. marg.* | ascendens] ascendunt *cod.*

²⁰ Vocatur autem ista nota finalis in qua aliquis cantus finitur, ut *re* primi et secundi, *mi* tercii et quarti, *fa* quinti et sexti, *ut* septimi et octavi. ²¹ Ista autem vocatur nota signi que stat frequentius post notam finalem, ut in anthifanis, quando finalis est *re*, tunc supra illam stat una in *la* vacans dummodo saltem est primi, que tunc vocatur nota signi. ²² Et ergo nota signi primi toni est *la*, secundi *fa*, tercii *fa*, quarti *la*, quinti *fa*, sexti *la*, septimi *sol*, octavi *fa*.

²³ Pro quo ulterius advertenda est una regula puerilis et multum autem facilis extendans se solum ad anthifanas talis : quandocumque aliqua anthifana finitur in *re* et nota signi est *la*, ut in ista antiphona : *Ecce nomen domini*, tunc talis semper est primi toni.

²⁴ Quando vero aliqua antiphona finitur in *re* et nota signi stat in *fa* ut in illa antiphona *O sapientia* etc, tunc talis est secundi toni.

²⁵ Quando autem antiphona finitur in *mi* et nota signi stat in *fa* ut in illa *Favus distillans*, tunc talis est tercii toni.

²⁶ Quando antiphona finitur in *mi* et nota signi stat in *la* ut in illa *Tota pulchra* tunc est quarti toni.

²⁷ Quando autem antiphona finitur in *fa* et nota signi eciam stat in *fa* ut *Alma redemptoris*, tunc est quinti.

²⁸ Quando finitur in *fa* et nota signi stat in *la* ut in ista *Benedictus*, tunc est sexti.

²⁹ Quando vero antiphona finitur in *ut* et nota signi stat in *sol* ut in ista *Ipsa preibit* | tunc est septimi.

³⁰ Quando autem finitur in *ut* et nota signi stat in *fa*, tunc est octavi.

³¹ Unde versus secundum hoc modo eciam notato <...>